

1. Extraits du *Liber urinarum a voce Theophili*¹

VI : « De coloribus urinarum.

Tempus igitur enarrare de colorum differentia et dicere quot sunt et quales, et cum quali effusione possunt complicare, aut omnis aut quidam. [2] Est igitur de coloribus primus albus, et huius latitudo in eo contenta. Cristallus enim et nix et calx et aqua purissima alba quidem non in summo vero omnia. [3] Imperfectior vero huius coloris lacteus, qualis est ex ipsa denominatione. Deinde remissior hoc glaucus, ut cornu lucidum, aut ut ctedones corneae tunice oculi. Deinde hos adhuc remissior charopon. [4] Est autem charopon qualia camelorum vellera, subalbida, aut ut lapis onichinus. [5] Hi ergo colores albi secundum qualitatem, secundum magis et minus sunt. [6] Si vero infectionem recipiat aliquam fellis alba urina secundum primam quidem rationem subpallida fit, ut decoctio semicrude carnis. Si vero permanet tempore aliquo decoctio, infectionem maiorem faciens, perficit pallidum colorem, significans habundantius fel priori aquosam urinam suscepisse. [7] Post hunc autem ponitur subrufus, similis auro albo a celtica (regione *supralin.*) venienti. Deinde rufus est ut secundum veritatem eurizon (id est bone radicis *supralin.*) aurum. Deinde subrubeus similis gnico (id est croco ortolano *supralin.*). Deinde rubeus qui assimilatur vero croco orientali. [8] Deinde iperitron (id est subrubicundum *supralin.*), factum quidem ab aquoso sanguine, ut ex albo colore splendore adveniente, quod et tinctorum flammeum vocant. Quidam vero secundum Galienum finicum (id est dactylicum vocant *supralin.*). [9] Subponere vero vel preponere subprepositionem in coloribus non omnes similiter consueverunt arbitrari. Alii enim preponunt, alii subponunt. [10] Erithron vero sicut ipse sanguis purus et sine dolo. Nam intensior hic aut remissior, non sanus sed nothus. [11] Inopon autem ut nigrum vinum, aut profundius ut purpureus sanguis, sicut est color epatis. [12] Kianos vero ut sanguis putrefactus ex felle rubeo, et super adustus, et colore ut garus et ut ictericorum urine. [13] Regula autem kianon coloris est secundum Galienum talis. Albo vero splendidum adveniens et in plurimum nigrum incidens kianon fecit; fuscus vero ex albo et nigro comixtis invicem fit sicut roisgadua (id est vestis varia *supralin.*). [14] Cloron (id est viridis color *supralin.*) vero ut caulis virens et ut gramen, latitudo vero in eo consideratur. Nam violatius et smaragdinus ysathodes omnia clora (id est viridia *supralin.*) secundum majus et minus. Hec autem calore plurimo facta sunt. [15] Pelithmon (id est lucidus color *supralin.*) vero profundius est fusco ut plumbum, et qui sunt ex accidentibus plagis corporis, et qui ex cassationibus nigrantes colores. Hic autem aut ex frigore fit, aut ex plaga. [16] Post hunc vero niger indicans aliquando quidem frigiditatem, aliquando vero calorem. Si enim ex viridi precedente, calorem. Si vero ex livido, frigiditatem. [17] Est autem super illa omnium colorum clora nigredo, et hic latitudinem multam (scilicet secundum species *supralin.*) habens secundum magis et minus. Multa enim nigra, alia aliis intensiora et dissimilia. [18] Et de coloribus quidem sufficiens doctrina collecta a disciplinis antiquorum philosophorum et medicorum. [19] Horum colorum qui possint coniungi cum pingui effusione, aut cum tenui. Et que ex eis significata sive in sanis corporibus, sive in egrotantibus procedens sermo docebit.

¹ *Liber urinarum a voce Theophili (sic)*, éd. G. Keil, *Die urognostische Praxis in vor- und frühsalernitanischer Zeit*, Fribourg e. Br., Habil. Schr., 1970, p. 97-118, p. 102 ss.

[VII]

[1] Quoniam autem de coloribus docentes prediximus, ab albo mundissimo distantia et lacteum, glaucum et caropon, ut non aliquem colorem inconiunctum pretermittamus, tenui effusione coniungamus et ea quid significant exponamus.

[2] Tenuis lactea urina [...]

[3] Tenuis glauca et caropos. [...]

[4] Tenuis subpallida et pallida [...]

[5] Tenuis subrufa et rufa [...]

[6] Tenuis ypoxantos et xantos. [...]

[VIII]

[1] Quoniam autem omnes complexionis tenuis substantie cum quibus coloribus possint coniungi sufficienter fecimus, et quid significant diximus, et in descriptione eas exposuimus, transeamus ad complexionis pinguis substantie, et dicamus cum quibus coloribus possit coniungi.

[2] De pingui alba [...]

[3] De pingui lactea [...]

[4] De pingui karopos [...]

[5] De pingui subrubea [...]

[6] De pingui rubea [...]

[7] Pinguis inopos [...]

[8] Pinguis quianos [...]

[9] Pinguis viridis [...]

[10] Pinguis livida [...]

[11] Pinguis nigra [...]

2. Extraits du Commentaire anonyme aux Questions de Craton (1240-1260) :

« Per Aristotilem qui ponit septem esse colores, sicut septem sapes in libro *De sensu et sensato*. Unde duo extremi, scilicet album et nigrum, conficiunt quinque colores medios et per equalem proportionem efficitur quartus qui equaliter fit ex utrisque vel distat ab extremis »².
[...]

« Istius tamen solutio questionis secundum positionem medicorum non est tante facilitatis, quia ponunt maiorem multiplicationem specierum coloris secundum quod scribitur : ‘Bis deni urinam possunt variare colores’ »³.

« Colorum alii significant mortificationem, ut lividus color et niger. Alii indigestionem, ut albus, lacteus, glaucus, caropos. Alii principium digestionis sed non perfecte, ut subpallidus, pallidus, citrinus. Alii perfectam digestionem ut citrinus, subrufus, rufus. Alii excessum digestionis, ut subrubeus, rubeus, rubicundus, subrubicundus. Alii adustionem, ut inopos, ksyanos (sic). Alii mortificationem, ut viridis et niger. Sed obicitur quia in nigro est inceptio et in eodem terminatio, et ita eiusdem repetitio. Sed dicatur quod alius est color qui fit ex mortificatione caloris, alius qui fit ex nimia et ultima adustione, et ita secundum diversitatem causarum distinguenda est diversitas causatorum. Distinctio autem secundum humores evidens est. Quidam enim coleram, alii sanguinem, alii fleuma, alii melancoliam significant ;

²O. Weijers éd., *Les Questions de Craton et leurs commentaires*, Leyde, 1981, p. 126.

³ *Ibidem*.

sed ad significandum humores debet fieri colorum et substantiarum conjunctio »⁴.

⁴ *Ibidem*, p.128.